

ctius in *Schersting Austr.* super. Praefens ejus Opus praeclari in *Job Commentarii Pars I.* est definens in *Cap. XX.* Exponitur prae-
vie uterque etiam *Hieronimi Prologus: Cogor per singulos &c. et: Si aut fiscellam &c.* Initium ipsius *Jobi* est: *Vir erat in terra bus nomine Job. Sicut visum in preterita lectione de causis 4^o. scilicet materiali formali &c.*

CXXXIII.

U. 121 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 193. 4. praecedenti per omnia geminus est memorati *Commentarii Pars II.* a *Cap.* nempe *XXI.* ad *Jobi* finem pertinens. Init: *Respondens autem Job dixit. Audite queso sermones meos &c. Terminatis verbis Sopbar, et per consequens obiectionibus &c.* Nota *Possessoris,* ut supra, et ad caput, et ad calcem adscripta est. Sed ad calcem haec praecedunt: *Et sic est finis huius operis. Deo gratias. Anno domini M^o CCC^o 97. sexta die mensis septemb.*

CXXXIV.

R. 37 * Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 72. f. per duas columnas, non una manu, sed nitide exaratus, et rubricis distinctus, annoque 1721. Bibliothecae Palat. oblatus a F. *Thoma Maria Alfano O. P.* qui titulo *Theologi et Praedicatoris Caroli VI. Imp.* Librisque variis editis celebris, teste *J. M. Mazzuchellio* in *Scrutt. d'Italia T. I. P. 1. p. 471.* diem

clausit *Neapoli* a. 1742. completitur: *I. M. Aur. Cassiodori Senatoris Scriptoris Sec. VI. Expositionis in Psalterium ex Augustino* potissimum congestae tantum, quantum mox edisseram. Praemittit haec *Librarius: Diversas notas more maiorum certis locis estimavimus affigendas. has cum explanationibus suis subter adiunximus. ut quicquid lector uoluerit inquirere. per similitudines earum sine aliqua difficultate debeat inuenire.* Pinxit itaque *XIII.* *diversas minio* *Notas,* addito ad quamvis titulo, quem subjungo: *Hoc in idiomatis. id est. propriis locutionibus. legis diuinae. Hoc in dogmatibus ualde necessarijs. Hoc in definitionibus. Hoc in schematibus. Hoc in etemologicis. Hoc in interpretatione nominum. Hoc in arte rethorica. Hoc in topicis. Hoc in syllogismis. Hoc in arimethica. Hoc in geometrica. Hoc in musica. Hoc in astronomia.* *Notae* hae, ut videtur, omnia *Cassiodori Opera* respicere debebant, sed in nostro Codice jam ad v. 3. *Psalmi I.* in his verbis: *Bene ut arbitror ligno fructifero comparatus est dominus christus,* abrumpuntur: *Praefatio* hoc rubro est: *In christi nomine incipit praefatio expositionum in psalterium.* Initium: *Repulsis aliquando in rauennati urbe sollicitudinibus &c.* *LECTIO* ipsa cum edit. *Garetii Rotomag. 1679. T. II. p. 1. f.* optime concordat.

II. fol. 9. sequitur alia manu: *Disceptatio synodalis inter Regis aduocatum et romane ecclesie defensorem. Πεγογυμνασµα* est *Petri Damiani*